



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de artibus liberalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

teris & germanæ philosophiæ, à Rep. commenda-
 ta est, nolite cõmittere, ut quasi deserta statione
 proiecisse ac pradiidisse cum maximo publico lo-
 mmo, præstâtissimas artes uideamini. Cũq; hic or-
 do duobus iam millibus annorum, tot enim num-
 ratur anni ab Hippocrate, Philosophiæ professio-
 nem, summa cum gloria retinuerit, turpissimam
 esset eam nunc demum amittere. Atq; ego tametsi
 hæc ætas plusquã ferrea est bonis rebus omnibus,
 tamen erigor interdum spe quadam, cum nonnulli
 los uirtutis causa hæc studia tota mente, toto
 animo complecti animaduerto. Et si quis est huius
 modi, huic summa uoluntate, hunc honestissimum
 titulum Doctoratus, decernimus. Dixi.

Medicinæ anti-
 quitas,

DE ARTIBVS LIBERALIBVS
 oratio, à Philippo Melanthono Tubinga-
 gæ habita, Anno 1517.

EGREGIA VIRTUTE VIRO 10
 anni Stofflero Iustingensi, Mathe-
 matum professori, Phil.
 Mel. S. D.



Ermonem de liberalibus artibus
 bui nuper, uir clarissime, pro
 istorum, qui in philosophorum
 lis

his rhetoricantur, eum dicare uisum est tibi, cum
 quod eiuscemodi sit argumentum, quod adserere
 nomini ipse tuo iure queas, tum quod hoc mune-
 re pietatem tibi meam probare contendam. Ete-
 nim debeo humanitati tuæ, non quantum agno-
 sco, sed quantum agnosse me cupio: cupio autem
 quantum decet. Iam quæ te non decent omnium
 insignia laudum, qui tot annos, tanto studio Ma-
 thematum abstrusa recludis, qui tanto studiosos
 omnes, atq; adeo me fauore complecti, eoq; cen-
 sumulo ad gloriam excitare soles. Id quod sensi ta-
 ctus, cum interpretandi Arati munere nos one-
 rares, nihil ardentius, nihil maiore uoluptate un-
 quam coepi, & spero rem casuram non infelici-
 ter, modo tu adspires porrò. Vertimus alquan-
 tum operis latino carmine, neq; uerò quo ueteres
 modo, qui imitati potius quàm interpretati ui-
 dentur. Tu interim, dum illud absolutum fuerit,
 hanc habe oratiunculam officiosi animi testem: for-
 tasse lautiores uoles, et magis elegantem, sed
 fieri nequibat, is est rerum aceruus: Bre-
 uibus confudi plurima, & uereor ne
 non decora sit uarietas, perinde
 atq; id est quod Lucianus ait:

κάμηλος ἢ ἀιγυπτίσιον.

Vale Tubinge.

X ij Egregius

Socrates in
schola Dionysii



Gregus animi uir Plato Athenus, & sapientie nomine uenerabilis, in dissertatione quam Erasmo seu Philosophia inscripsit, Socrates ait in Dionysij Grammatici ludis spectasse illic ingenijs elegantissimis nobiles pueros, & ex ijs forte duos ultro ac citro contendentes: Esse quaedam de Anaxagora uel Oenopideiis controuersas uidebantur. Sic enim in Ludis orbes pingere, flexuras ductare, uersilibus punctis finire & artificio manu uariegas undiq; lineas imitarer. Hec, uti solebat, penito contemptus animo senex, cuidam e familiaribus puero adfedit, blande illum officio cubiti admonitum tatus: Quid hoc, quod meditentur adolescenti tanto studio & cura: Num honestum ac magis Continuo iste nugari, nescio que, cognitu sublimia & quasdam Philosophias garrere. Socrates contra impudentiam demiratus hominis, cotatus, num ergo turpe ducat id quod ait iuuentus philosophari? Aderat ibi quispiam non malus uir, ut probe dolens responsum Socrati, & autoritate tanta uiro, & de sapientie studijs modeste rogati, commodum interuenit: Socrati ait, mittendum hominem sordidum, squallentibus obrutum uoluptatibus, & indignum plane, qui cum Philo-

phie disputatio cōmunicetur. Prudenter ille qui-
 dem non ad omnes pertinere sacrosanctam rem,
 sapientiam arbitratus, ἀμύκτορ iure solemnium
 interdixit. Idem ego propemodum acturus, num
 ardua res, num pulchra, num laudanda Philoso-
 phia, eos mihi auditores dari cupio, quorum ita
 sint affectæ mentes, ut sponte orantem sequi cer-
 tent, Si quib̄ ea barbarie, ea immanitate, ut splen-
 dore ac pulchritudine sapientie trahi non possit,
 iam relegatus esto, iam quasq; cycladas, aut gya-
 ras malis, quàm ardētis philosophie uultus. Neq;
 uero hic faciūdia luditur peregrina ferrugo, neq;
 fastus ingenij. ipsa sese res genuina facie bonis mē-
 tibus probare solet, quo fit, ut & aperta magis,
 ac simplex mea sit futura oratio. Artes primū
 dependemus administras Philosophie. Deinde illā
 ipsam quoq; si uisum fuerit, quæ maius aliquid
 communi hominum sensu spirans, caput inter nu-
 bila cōdit: Ea est uox Demonij. Omnem isti hunc
 locum, opinor & hoc anno, Mense Iulio, concio-
 ne quadam à nobis explicatum cognostis. Hoc
 tum erat studio, cū ē suis fontibus deriuarem
 artes, ut animi nature ostenderem insita earum
 initia, scilicet hanc facem prima lux, & auinte-
 gra mentibus humanis scenerat. Dein, ut impe-
 riti nature iudices, ut abhorrentes à ueterum hi-

X iij storij.

storijs, qui unam gentem, aut unum fortasse Mo-
 syan primitijs artium dignantur. Nam ut eadem
 gentibus omnibus, atq; adeo omni cœlo æquib-
 niq; ratio, ijdem iusti fontes, sic eadem ubiq; na-
 ra scientia, modo par studium accedat, & ut in
 summa dicam, Rex Iupiter omnibus idem. Gra-
 dia hæc tum, nec ἀπὸς δῖου ὄρα ei loco. Sed
 porrigo frontem adulescentiæ dicturus. Quædam
 iucundiora, quædam etiam clariora prioribus
 ram in medium. At interim, si quid ab humani-
 te uestra, optimi uiri, pietas mea, uel à uobis ad-
 lescentes nunquam non officiosa uoluntas emen-
 ri potest, queso non solo argumenti nomine, uo-
 rum & mea ipsius causa, pari cum cæteris Or-
 toribus uestris loco pari gratia habete.

Natus Ioue
 Mercurius.

Constans & uetusta fama est, natum Ioue Mer-
 curium, quum ad Aegypti flumina puer à Nym-
 phis aleretur, ut erat indoles festiua, per lul-
 iocumq; solitum pleraq; commentari, Deas uo-
 fricie fallere, nouas artes, noua opera miranda
 posteris effingere. Eximia est, quæ gentibus in-
 aliquot inter sacra fuit Lyra, id enim fabulis ca-
 lido nomen inuento proditur, Factam aiunt e-
 cha, quam forte fortuna iam in sicco desituerat.
 Nilus in alueum regressus: Testudinem uocant
 tiori uocabulo. Festiuum profecto nature opus.

Chelys Mercu-
 rij eleganter
 exposita.

Oblongata

Oblongula est, ut reliqua taceam, et capite quasi
 in orbē sinuato, ac ob id apta manibus habendo.
 Quod cum in ripa ludens puer obseruasset, utilē
 ratus ostraci figurā, adit propius, aridam cædit,
 sonat ea & nescio quid blandius, statim Deus ar
 ripit lætabundus, bene pulchræ rei sperans, pellē
 neruo culmis infigit, chordas adstruit septem, in
 tendit chely, experitur cantu organon, ἀποχέ=
 ριστο, miratur, interq; manus & brachia uersat,
 placetq; iam non auctori tantum, sed ipsi etiam
 Dijs nutricibus: Cœpit esse laudatum & selectis
 numinibus: Donatur Apollini. Nec longo post tē
 pore Phœbus operā nauās hominum gratiæ, che
 lyn dedit Orpheo muneri. Fuit ἐπτάχορδον,
 Homero ac Pyndaro magnis testibus, dū Orphe
 us Calliope studio, de Musarum numero duas ad
 iiceret resticulas. Post Orphei fata, aiunt alij ad
 Musæum gnatum uerisse, alij fatidicā in Lesbō
 delatam, atq; inde à Terpandro in Aegyptum pa
 triā, gratissima munera, diuinorū conscijs sacer
 dotibus. Ibi esse cœpit Aegypto sacra, quā pleræ
 que secutæ nationes, itidem coluere Mercurij che
 lyn. Nomē inde factū syderi, Lyra, quo res etati
 postera foret augustior. Hæc est Lyra celebrata
 nobilitas tot genibus, tot literis. Quorsum uerò
 hæc quid de una sibi tantum Lyra placet antiqui

Primæ artium
 origins.

X V tas

tas? Quo es mihi paulisper aurem cōmodate, rem
 explicabo nō uanus. Poëtica μύθος uno eodemq;
 iucundo inuolucro, et populari quidem prima or-
 tium origines, primosq; authores tenet. Mercu-
 rus Ioue natus, Iouis mens habetur ijs, qui ueteris
 Philosophia periti sunt. Lyram de testudine, non
 falsa mundi imagine, sic in re parua lussit natura,
 πολυδ' αὐδ' αὐλοῦ fecit, chordis ornauit septem: Eius
 enim ille sacer habitus numerus. Septem haec sunt
 artes, ut agam historica fide, supera defluxa men-
 te, quibus omnis natura scientia cōprehenditur.
 Iam et praesides Musae totidem, quae duae reliquae
 septeno choro ius omnium sibi uendicant. Ecce
 dei manu fabrefactam Lyram, ecce deum munus
 Artes. Mihi uerò iam de natura scientia, non Di-
 monij uoce res est, putoq; nostris ingenijs pro-
 pria, rationis usu cōtingit. Ea est in oratione par-
 tim, partim in rebus. Scientia rerū prior, sed non
 uulgari more dicemus. Quae ad sermonem spectat,
 ingeniorum puerilium exercendi habentur initia.
 Grammatica prima, cui quoniam elementa literarum
 debemus, nulla ex parte non est necessaria.
 quid enim atinet longius immorari palam cōspicere
 se rei, quam utile mortalibus repertum, literarum
 αὐτοῖσι memoriae custodes, popularis regule ser-
 monis, ut mittam cetera. Huic accedit proxima
 Dialo-

Grammatica,

Dialectica, subtilis differendi ratio, nam id indicat nomen literaturæ comes, complexa quicquid hoc omne, quo se aliqua uis effert ingenij: ac si licet hoc audacius paulò, sola mihi omnium mater artium haberi posse uidetur: Tantum abest, ut dignum docto spires, ut pectus ad sapientiam formare quouis modo queas, si Dialecticon politias, uanissime omnium quisquis es contempseris. Neque enim ille Mercurium pater Oceanus tantum opus, tantum diuitiarum orbi conuehit uniuerso, quantum artium una cyclopediæ, Dialectica. Et attingerem ex ijs aliquot, ni passim id sonarent scholæ: at si uultis tamen, ostendam usui fuisse uel summis ingenijs. Vir animi sagax Aristoteles, ut hunc nomenem, in quem opinio hominum consentiens multis iam seculis conspirauit, quaeso quid præstat ubiq; uel aptius, uel eruditius Dialectica? potestq; illa quasi Delphico gladio, ut omnium sensa nunquam non penitissime cõfodiat: inuenit, disponit, Dialecticæ debet, ipsa enim quid quaeres, quid cuiq; coherens, & quo ordine, pulcherrime distinctis filis notat. Iam si Platonicos huc accire datur, quãtus inter illos cminet Augustinus, qui Dialexi ceu Mercurij alis, ita Platonici uim animi excelsam uocant, humana superans, diuina proximus attigit. Audio quosdam male feriatos homi-

Dialectica mater artium & Oceanus,

Aristoteles

Augustinus.

homines, qui cum ἀγρόμαστοι καὶ ἀμωδοί
 ras uulgo iactitent, hoc habent primū ut à Diale
 cticis quàm longissimè absint. Age, bellè ridetur
 hæc tota fex à Socrate, non in Gorgia tantum et
 Lache, sed omnibus penè dissertationibus Plato
 nis. Habet Grammatica ut doctè loquaris, hæc uerè,
 ut discriminatim, ut certum, ut solidū, quæ
 enthymemata, syllogismi, theses, finitio, paritio,
 cōmodum exhibent. Et syncera sunt et firma, quæ
 in hanc aleã conueniunt, minimeq; fucata. De hæc
 statuas quondam suspexit antiquitas, nō de adfina
 ticia specie, ut Pausanias ait, sed ingenua quadam
 forma, cui planè γνήσιον hoc erat, admirandum
 ferre ipso decore maiestātē, et propemodum illius
 melioris seculi Δέσιον. Fortassis et de nostris Diale
 cticis tale quiddā licebit, Stoicos dico, aridi sicut
 ac ieiuni sermonem, fœcundi sensa: uerū hæc ali
 as. Omnino de ipso sciēdi amore Dialectica inter
 primores artium recēseri nō temere solet. Quæ
 ualeāt ἀντίτεχνον suis complicibus, τοῖς ἄλλοις
 τὸ βελτιώρον γένος, ut cum Euripide dicā: liber
 est enim cuiq; aut bonum esse, aut malum. Vosq;
 Philosophiæ nomē dedistis adolescentes, qui bonum
 esse, qui sapere dextræ menti, qui prodesse oī
 Reipub. contenditis, in elemēta Dialectica incu
 bite. Nullo pharmaco magis, aut uegetum, aut a

cre, nulla harmonia reddi potest ingenium elegantius. Bias rogatus, quid esset cuiq; inter prima dulce, respondit, quod proprium. Est autem uel maxime propria homini ratiocinatio *διδασκῆσις*, contemplatio cuiusq; diligens. Iam queso quid eò suauius? Varium Poëta Proteum fingunt, omnium sibi rerum uultus formasq; aptantem. Quo nimirum cōmento intelligentiæ nostræ metamorphosin in omnes rerum species significant. Discernit autem species rerum unica Dialectica, perpetua et incōcussa ueri scientia. Quam uellem hæc pluribus agere liceret per horam, quò magis perspicuè uobis Dialectica probaretur. Sat fuerit adiecisse: Neminem à cōditis literis unquam ullo sapiētum iudicio, inter candidatos studiorū cuiusq; generis sensum huius expertem. Sed aurē Cynthius uellit oranti, et admonet superesse Rhetoricā. Quid uerò illa? Pars Dialecticæ, quosdam argumentorum locos populariter instruens. Et de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Logicis artibus tantum, chordæ illæ tres in chely symphonæ, Musarū trium ludus: Polymneia, cui nomen est à memoria, litteras habet. Euterpe Dialecticā, quod mira sciendū cupidine rapiātur, qui in contēplatione degūt, Melpomene forum demulcens, Rhetoricā. Quæ rerum est cognitio, pēdet omnis è numeraria, quæ uocant

Nihil reddit ingenium elegantius Dialectica

Rhetorica.

Arithmetica et
multiplices
eius fructus.

uocant Arithmetica. Si enim, ut uisum Platonis, aliqua rerum prima notio inserta est natura mentibus hominum, qua liceat uti, uel ad universalium contemplationum principia agnoscenda, $\kappa\alpha\tau\alpha\ \tau\omicron\upsilon\tau\omicron\lambda\omicron\upsilon\sigma\iota\varsigma$, ut doctus uir Epicurus uocat, uel ad uestigandas singularium partes, quae est alia quam ordinis, quam numeri regularitas, uidetur in unoquoque, quid primum, quid extremum, quid unum, quae multa. Quae ut non tenentur solent magistra serula discier, ita natura prius percepta tenemus. Laratan aiunt, quisquis uisus fuit, Pythagorae Doctor, dixisse animam numerum matrem esse, uidelicet, quo significaret conceptam numerandi scientiam animis mortalium. Et licet de puerorum rudibus ingenijs periculum scire, an non primum est, quod scire uidentur numerus, par, impar luditur, item cubus primus et postremus. Quamobrem in erudiendis pueris numero auspicandum censet Plato, quo excellentijs, quae natura insunt seminarijs, recipi cetera promptius queant. Et Pythagoras omnem Philosophandi rationem e natura mentis humanae cognatoque studio deriuans, principia Philosophandi numeros posuit. Tum qui praefatere quondam sapientia magni uiri. $\tau\omicron\ \alpha\epsilon\iota\theta\mu\epsilon\iota\varsigma$ numerare, pro Philosophari dixerunt. Abenzoar nosse inquit

Laratan.

A numero incipiendum docere pueros.

Abenzoar.

inia, qui sciat numerare. Et Neocli Plato que-
 renti, cur homo sapientissimum animal, respōdit,
 quoniam numeros calleat. Iam que arcana uenati
 maiores ē pari ac impari, que sublimia ex uno,
 duobus, tribus, quatuor, quinque, sex, septem, &
 rursum ex horum congressibus, dies defecerit ex
 plicare conantem. Accedunt ad numeros literę,
 sortes, enigmata, nomismata, et huiuscemodi non
 pauca commerciorum nota. Nec est ut Syros aut
 Phœnicas memorem uobis autorem numeri. Ea-
 dem generi hominum ratio idem hoc ubique præ-
 stat, ut signet, discernat, iudicet, que usura ueni-
 unt ē numeraria. Sequuntur eam ponderum ac
 magnitudinum mensura, plana, solidaque figura,
 æqua, iniqua proportio, que ferē capita Geome-
 trię sunt. Hinc admiranda generi machinę, ac ut
 Eudoxi, Archytę, Menechmi, Archimedis, Boë-
 tij automata præteream, quantum bombardę, nõ
 strate inuentum, bellicis contul. Adde Plasti-
 cen, & que nascitur ē perspectiuis picturam, u-
 trunq; ciuitatum uel pulcherrimum ornamen-
 tum. Huius generis sunt celandi, sculpendi ar-
 tes, & inter eas Calcographica, æreaque Germa-
 norum scribendi formulę. Hic artium nexus, hæc
 origo mechanicō duabus principibus artibus A-
 rithmetica et Geometria, hic usus est utriusque per
 tot

tot manuarum operas. Quod si ad animum transferas, Dij boni, quæ suauitas, quod nectar offertur contemplanti, imò quæ lux sese ex illo reuoluit in chaos aperiet: isthæc mentem sensilibus herentem, auellit seducitq; ad intelligibilem eternamq; naturam. Sic Plato ἀρετὴν φιλοσοφῆσαι, et ἀρετὴν γεωμετρῆσαι commodum affecta notatione dixit, est, semper eternam ueri naturam intelligendo uisitare. De Arithmetica Geometriaq; obiter in ephone ac fastigio artium, Musica et Astronomia locatur. Age quid Musica laudatius elegantius harmonia ratio, siue organicam, siue naturalibus. Insignis utraq; honore poematum, id quod illa sum acturus oratione. Plerisq; gratior Musica orbe artium aliarum, quod hæc ad contemplationem pariter moresq; conferunt. Erigunt aliam celestia mentes nostras, hæc una cælo superæ humana deducit, quo argumento ueteres arbitror musica signa passim Deum statuis appendisse, quod si illis Dij conciliati nobiscum uersentur. Ceteris moribus, quod nulla res familiarior tranquillandis animantium affectibus. Scitis de Orphei Lyra, quid, et quæ Pythagoreæ gentis instituta fuerit, ὡς αὐτὸς ἔφη πρὸς Ἀντισθένη. Ex ea factione Clinias celebris uir, modestissime usus disciplina magister, quoties animo turbabatur, quacumq; causa, statim

Musica.

Orphei Lyra.
Clinias.

ad Lyram properabat: rogatus aliquoties, quid
 hoc: nihil respondit præter hanc uoculam $\pi\epsilon\sigma\alpha\upsilon$ =
 uocatur. Atq; hi sunt propriè Musarum soni, qui ad
 honestam uitæ constitutionem, qui ad uirtutem
 pertinet: Succedunt Musica saltatoriæ artes, Ar
 cadum inuenta, sed longior est res, quàm à nobis
 æquè modo possit. Reliqua Cyclopedæ: Astrono
 mia est, numeros, magnitudines, motus, harmo
 niæ, id est, compagem superi atq; inferi orbis di
 mensa, syderum effectiones ac influxum comple
 xa, Medicinæ parens fati conscia. Arithmetica,
 Geometria, harmonica ancillarjjs disciplinis cõ
 munitur utitur. Longius hæc quadruuij seriem du
 xissem, sed hora deficiamus, agitq; rem eam publi
 cis scholis quotidie Ioannes Stoffer philosophus,
 autoritate, fide, literisq; Mathematicum uenerabi
 lis. At hæc quatuor artes, quatuor item in Lyra
 Mercurij chordulæ, suũ quæq; stridens, prima se
 Terpsichoræ debet, ordinis ac numeri artificij, ha
 bet enim à choris nomen Dea, Secunda Thaliæ,
 quoniam floreat excolta $\gamma\epsilon\omicron\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau$ commodis
 uita, Musicam Erato iucunda regit affectio. Emi
 net inter socias clarissima in Homericæ Diane
 modum Vrania, principem astrorum scientiam
 decora referens. Septem chordas numerari adole
 scentes audistis, nec discretæ Lyra uoces reddun

Astronomia,

X tur,

Non licenter
hæc hæc.

tur, plures quatuor, tres orationis funiculi com-
munes quadruuio: Quatuor aliæ chordæ re-
suis discrepant. Non confingo licenter hæc au-
tores, ut illi Atticorum κοροπλάθοι: Platonis
quoq; ueteribus ratio sapiendi talis fuit, auctore
Plutarcho. Et de quaterno Lyre systemate quæ
disputaui, Terpandri sunt, ait ille:

ἡμῆς τοι τετραγῆρω ἄποσρέφαντες αἰοῖδ' ἦρ
ἐπ' ατόνω φόρμιγγι νέος μελεδ' ἴσομεν ὑμῶν.

Septena iam forte chely noua carmina uatem.

Quatuor & distincta modis panxiffe iuuabit.

Iamne, quæ Mercurij sit lyra tenetis, quot chor-
dæ, quot artes? Et Musas artium præsidēs appo-
lare sum solitus. Ille uerò quid? Congenitus ho-
num animis ardor & strenua sciendi cupido.

Stis antiquissimus uates Orpheus, qui Musas ly-
mno canens, inquit:

πάσης παιδείης ἀρετῆν γεννώσασσι ἀμεμπ-
θρέπ' ἔσθαι ψυχῆς, διανοίας ὄγδο' ὄτ' ἔσθαι.

Hoc est, si uenerandam Orphei maiestatem can-
mine licet nostro, imitemur:

Munera uestra Deæ uirtus & gloria uerac.

Quasq; artes agit humanæ uis feruida mentis.

Vos animi dulces etiam ueneramur alumnos.

Aeternum recti quibus inseuistis amorem.

Cense artium numero Musæ septem, due super-

sunt, Cleio & Calliope, quibus equum in omnes
literas ius: historiae Cleio, Calliopen poemati per
ficiamus. Omnis generis scripta usurpant historia
et poema, nec alij maiori fruge operae leguntur
authores, quam historici Poetae: Adulescentes
animos e uulgarium studiorum sorde euellunt, lo-

Historia poësis

coq; referunt excelsa, iam uiris digna spirantes.
De artibus haecenus, quae organa sunt, & quasi
quedam praeludia magna illius Dijs genitae sapi-
entiae, quibus instructae mentes hominum, Dei nis-
men caelis demissum excipere queant. Nec fas pi-
to de illa plura commentari, quisq; secum bonus
uir anxie cogitet, quae illa γυκσίη ουλύμωοιο, ut
Callimachus ait: Ipsa est quae in medio artium
eboro communis omnibus desidit, omnium rerum
certa scientia. Sic Apollinem prudens antiquitas
in medijs Musis pinxit uniuersitatem omnem ci-
thara temperantem, ut est apud Orpheum:

Artes praelu-
dia sapientiae,

Apollo inter
Musas.

πάντα πόλον κιδασή πολυκρέκτω ἀρμόζῳ.
Capita artium, nomenq; τ σοφίας, ut licuit, bre-
uissimè attigi, non in hoc uersatus, ut magnificè
laudarem. Egregiè nobilis pictor Timanthes
Cyclopem in tabula, uti ferunt, breuicula dormi-
entem delineauit, eius cum esset magnitudinem
expressurus, iuxta Satyros thyrso pollicem mon-
stri dimetientes fecit. Quomodo nos angusti

Timanthes ne-
bilis pictor,

X ij ingenijs

ingenijs homines ingentia molimur, Philosophia
 ,, laudes, nec ferè nisi dormientis sapientie oras
 ,, tingemus. Equidem cum temperarem mihi à lau-
 ,, dibus, quas multi multas ineptissimè effutire so-
 ,, lent, hoc egi tantum, ut quàm honestæ res essent
 artes, quippe sacræ, intelligeretis. Tum ut admo-
 nerem iuuentutem, easdem Musas esse, quas locuti
 uocant artes, proba ratio est, cur uelim adulescen-
 tes hoc omnes rectissimè norint. Passim profana
 Musæ in poëmaticis, uitio indoctorum interpre-
 tum, qui rem multo dignam studio negligunt, et
 quantum conijcio iuuentæ operas uani distinet.
 Idem Mercurius est pueri, qui animus nobis
 εὐτ' ἔστι ποδὸν ἄσπετον. Eadem Musæ, decem
 et eadem chordæ, quæ artes, animi cum habitibus
 suo consonantia, Lyrae harmonia. Iam quis est
 uobis, qui non harum rerum honestate capitatur.
 Conueniebat fortasse ut inhortarer uos ad uirtu-
 tem, sed uestra iam sponte currentes. Agite exam-
 pla uobis magnorum hominum, qui me circumspici-
 dunt capite, agite intenti spem patriæ longè pre-
 cherrimam, ante oculos, ipsumq; animi sensum
 ponite, quo nihil esse optandum uobis, nihil con-
 tendendum, præter honestas literas, præter uirtu-
 tem cognoscatis. Nullis delicijs, nullo errore bo-
 minum, regia uia excedite; nulla uos cupido auer-
 tis.

Cupido infa-
 mis.

lat infamis à uirtute. Infamam adpello, quæ aliena sit à studijs literarum, atq; ab ijs, quibus additi sacris omnes estis. Eleganter admonet dialogo Lucianus, qui fluctus illi abhorrentes à uirtute Musisq; eum quando Cassar Curren, bonorum studiorum amantissimus iuuenis, Latinum fecit, haud grauatim referam. Iucunda est fabula. Sic enim Venus natum compellat: Quid ò Cupido cæ-

teros Deos subegisti omnes, Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, matremq; ipsam me, sola uerò abstines Pallade, ac aduersum istam nulli falcularum ignes, uacua telis pharmaca, tu deniq; inermis arcu, pilisq; ceres? C V P. Pertimesco ipsam mater, horrenda est enim, ac torua aspectu, admodumq; uirilis. Itaq; quoties intento eam arcu iaculoq; peto, concussa me galea excutit, extert, caduntq; manibus continuo sagittæ. V E N. An non erat hac Mars formidabilior? & hunc tamen armis spoliatum expugnasti. C V P. Imò ille labens mercepit, inuitatq; Minerua uerò obduis supercillijs obseruat semper. Ad eam si quando aduolauit temerè, facibus aduolutis, ait ista: Per Iouem, si me puer adortus fueris, te transfodiam, aut arreptum pede in tartara conijciam, uel ipsa te dilanians discerpam. Tum acribus in-

tuetur oculis, & circum pectus gestat imaguncu-

Dialogus Luciani.

Pallas.

Y iij lam

lam quandam uiperis capillorum uice comatam
 Hanc uehementer equidem formido, perterrita
 enim me, fugioq; quoties adspecto, VEN. At qui
 Mineruam quidem metuis, atq; huius gestans
 gorgona, qui Iouis fulmen non expauescas? Den
 autem Musæ cur nullis queunt abs te uulneribus
 confici, sunt, quod aiunt, extra tela, num galatæ
 & hæ incutiunt, aut gorgonas obijciunt? CVP.
 Ipsas ego reuereor mater, castæ sunt, & semper
 aliquid curæ molientes, continuo cantu occupa
 te. Sæpe igitur adsum illis suauitate carminis
 linitus. VEN. Sinito et illas, quod uenerande
 scilicet: Dianam cur non uulneras? CVP. In
 ma nequaquam possibile est adsequi eam, semper
 per montes fugientem, quin illa suo quodam
 grat cupidine. VEN. Quo gnate? CVP. Venas
 quidem ceruorum ac hinnulorum, quos inspecto
 tur ut capiat, ac iaculo figat, ac prorsum totato
 rum eiusmodi studio tenetur, tametsi fratrem eius
 iaculo potentem, ac eminus ferire solitum. VEN.

Scio gnate, sæpenumero arma expertum tuum.

Hæc fabula est profutura moribus ue
 stris, si frequentem animo agitaue
 ritis: Sic enim & nu
 ge seria ducent.

Dixi.

Musæ.

Diana,